Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1553
Quelle:
Copyright:

XII. *fol.* 230. p. 2. Excerpta quaedam ex *Boethio*, *Cassiodoro*, *Gregorio M.* Autore *Doctrinae Rudium*, *galfredi Vine sauf Angl. Poetria*, *Ovidio*, *Henrico Samariensi* seu *Paupere*, et *Jacobo Beneventano* O. P. quem tamen versus scripsisse non memorat *Quetifus Scriptt. O. P.* T. I. p. 648.

XIII. *fol.* 231. sine titulo, sed ex Indice praevio: *Tractatus magistri Augustini de Ankona ord. heremit. sancti Augustini contra diuinatores et ariolos.* Ita exorditur: *Quoniam sicut tempore retroacto ita et nunc quidam insurgunt, qui non voluntatem rationi subiciunt nec doctrine studium impendunt* &c. Directus est ad quendam *Reuerendum Patrem*, et in XXI. *Capita* tributus, quorum elenchus Praefationem excipit. Finis est: *Sed solum est ab illo omnis veritas postulanda qui est via veritas et vita, quam ipse nobis tribuat qui* &c. Sequitur subscriptio: *Explicit tractatus contra divinatores et somniatores editus a fratre Augustino de Anchona Sacre Theologie doctore ordinis fratrum heremitarum sancti Augustini, Scriptus per manus fratris Johannis de Recz* (Austriae Oppido) *Sacre Theologie professoris exigui ordinis antedicti et vsque ad finem deductus in Wienna. Anno domini M° CCCC° III°. In die sancte Agathe virginis et martiris omnes legentes in ipso orate pro eo. Requiescat in pace Amen.* Inter *Augustini Triumphi de Ancona* Opera tractatus hic nec a *Gesnero*, nec a *Fabricio*, nec ab ipso *Ossingero* in *Bibl.* sui Ordinis citatur. Librarius noster, et ipse vir in hoc ordine celeber, non potuit diem obire 1402. ut adserit *Ossingerus* cit. p. 740. cum initio *Februarii* 1403. primum scriptionem absolverit.

Codex noster olim ad *Augustinianos Ratisbonenses* pertinuit; unde non mirum tot in eo hujus Ordinis Scriptores contineri.

CCCCXVI.

Codex chartaceus lat. Sec. 555
XV. Folior. 340. 4. currente calamo scriptus hanc in praefixa membrana Notam exhibet: *Iste liber datus est pro libraria domus ex parte R. M. Petri* (Tzach) *de Pulka sacre Theologiae professoris eximij cujus anima feliciter requiescat in sancta pace amen.* Hujus Viri Acta pro Religione et Academia *Vienn.* maxime in Concilio *Constant.* adumbrantur in *Scriptt. Univ. Vien. Sec. I.* p. 95. Scriptorum vero Pars in hoc *Codice* continetur, quem percurremus. Initium facit Confutatio quaedam *Jacobi de Misa*, quae incipit: *Pietatis inexpugnabilis impiissimus oppugnator quidam pseudopredicator Magister Jacobellus nomine quoddam scriptum erroribus refertum de vsu sacramenti eukaristie — Prage edidisse dicitur quod incipit:* Pius ihesus diligens suos fideles &c. *In quo sub pietatis specie militat possetenus contra piissimum dei cultum* &c. Duplex igitur accessio ad Controversiam